

Galeni opinio de loco in quo sunt Somnus & Vigilia. Cap. XII.

ALENVS eo nititur principio, & fundamento quo Aristoteles, & alij antiquiores sunt vni, somnum inquam & vigiliam in ea corporis parte fieri, à qua tanquam à fonte, & communi, primoq; sensorio sentiendi vis emergit, ac in uniuersum corpus mittitur. Asumit etiam illud principium, nempe eam partem esse originem omnium sensuum, à qua enascuntur nerui. In hocverò ab Aristotele dissentit, quod sentiendi facultatem, & neruos, à cerebro, & non à corde emanare velit, id quod validissimis rationibus probat, Aristotelis opinionem de origine neruorum & anatomie refellens, & suam confirmans, sensuumq; fontem probans multis rationibus esse cerebrum. Nam si pars illa est primum sensorium, à qua nascuntur nerui, profectò cerebrum esse illud conuincit. Deinde idem probat ex neruorum dissectionibus, & constructionibus, in quibus partes quæ ad cerebrum vergunt, sensum retinent, & motum, quæ verò spectati ad cor, eos amittunt. Sumit etiam argumentum, quod per soporosos affectus in quibus sensus afficiuntur, remedia quæ adhibentur capiti, prosint, non autem quæ cordi admouentur, tanquā origo sensuum in cerebro sit, nō aut in corde. Quod quidem argumentum, quum Portius nostri temporis philosophus eludere voluisse, suam prodidit inscitiam: nam podagram suam venæ sectione in cubito multe scere dicebat, non propterea malum esse in illis partibus, quibus remedia adhibentur: at ille, vt multe alia, ignorabat duplex esse remediotorum genus: quoddam, quod rouellendo, fluxionesq; sistendo, partibus longe distantibus succurrerit: aliud verò quod malis medetur in parte affecta conceptis: quæ ob id localia auxilia dñr, de quibus Galenus agit. Iā dicat ille an cataplasma quæ ad dolorē pedum faciūt, prosint si cubito applicentur. Habeat ille aliud, quod posset commodius opinionem Galeni refellere, quod nempe refrigerantia auxilia, quæ cordi admouentur somnum etiam concilient. Atq; hac sunt argumenta quibus vti folet Galenus aduersus Aristotelem, & probandum cerebrum esse omnium sensuum principium: sed ego alia afferre possum, forte non minus valida: atq; illud in primis: quod sensus non solum sensus, sed etiam motus, & omnium facultatum fons est cor, vt Arist. putat, & in eo somnus fit, cur ab humoribus genitis ex vaporibus, qui ascendunt à cibo, descenduntq; postea ad cor, potius sensu quam motu, aut pulsu priuatur animal? & quur motus tum voluntarius tum qui per pulsationes editur, seruat in dormientibus, ratiocinatio verò & memoria, & sensations quiescunt. Quur enim non abolentur ab eadem causa vniuersa actiones quæ in corde vt ille censem fiant? aut saltem illæ, quæ vt sensus, in cætera membra à corde spargi dicuntur. Idem docent vulnera, & contusiones cerebri, quæ sensu, & motu protinus animal priuant, nihil interim corde paciente: quod pulsus arteriarum, & motus ipsius cordis liberi, saniq; ostendunt. Mirum autē esset in tam evidenti, & cōmuni malo, nihil pati cor evidenter, si illud harum facultatum est principium. Præterea in Apoplexia, comate, lethargo, atque adeò etiam per contusiones cerebri, sopor hominem subito arripit: qui quum à cibo, & vapore, ab eo eleuato nequaquam fiat, ostendit sanè nihil esse ad cor delapsum, quod insensibilitatis eiusmodi sit causa: sed quum per huiusmodi mala manifeste agnoscatur cerebrum pati, illud quoque intellegitur, in cerebro sentiendi vim inesse. Idem docent excrementa quæ in soporosis affectibus emituntur per nares, palatum, & alias capitis partes, quibus expurgatis vigilia restituitur tanquam illuc sit sedes sensuum, quæ antea laborabat. Adde quod Aristoteles uidetur scipsum conuincere. Nam quum ait eos qui soporantur, & dormiunt, nec caput erigere, nec palpebras attollere posse, manifeste ostendit, non in corde, sed in cerebro sensus, & motus originem residere. postremò si omnes actiones in corde fiant, aut certè illæ quæ cōmunes sunt, à corde deriuant, quur quemadmodum per iram, tristitiam, latitiam, risum, percipimus cor constringi, dilatari, multifariam moueri, miroque modo affici, idē nō contingit ubi sensus, & motus in vniuerso corpore laeduntur, aut quū somnus fit. Miru enim est, si in quibusdam affectionibus, ijsdemq; levioribus percipiatur cor plurimum affici, in alijs nero gravioribus nequaquam. Sed hoc mirum non est his, qui nouerunt illud affici, in illis passionibus, quæ in eis fiant aut ab illo procedunt, in alijs uero, quæ aliunde originem ducunt, nihil huiusmodi fieri doberet. Fit ergò ex Galeni opinione somnus in cerebro. Ac quū multæ reperiantur in capite, & in ipso cerebro partes, nempè ventriculi, propriaq; substantia cerebri, nerui, qui ab ea nascuntur, membranæ, quæ illud ambiunt, arteriæ, venæ, sitq; alia anterior, alia posterior, alia media, alia dextra alia sinistra cerebri pars, videndū est ex Galeni opinione, an in uniuerso cerebro, & quæ illi seruunt partibus, an potius in aliqua eiusdem portione somnus ponendus sit: idq; præsertim quod Galenus varius in hac re esse videatur. Etenim tertio libro de locis affectis ubi de soporosis affectibus agit, ita scribit. Differunt sacerdos affectus non solum mistionis varietate, aut intentione, uel remissione, sed et quod uentriculi cerebri interdū afficiuntur intēperaturis, interdum uniuersa illius uasa, interdum humiditas, quæ per corpus cerebri dispersa est. Cōtingit et inquit ipsummet corpus cerebri intēperatum reddi. Præterea in Caro anteriores cerebri partes magis pati quam posteriores, in Apoplexia uero anteriores, & posteriores pariter affici: & carum et compressis cerebri ventriculis, maximè medio gigni tradit. Ubi uero naturalis somnus consistat & quarum partium affectione, nō docet, hoc solo cōtentus, quod dicitur in